

Franz Albert Aepinus

**Ad Festvm Sanctoꝝ Angeloꝝ Pie Riteqꝛ Celebrandvm Cives Academicos ...
Pvblico Hocce Programmate, Pro Officii Ratione, Hortatvꝛvs, De Christianoꝝ
Circa Malos Angelos Officio, Pie Meditando, Sancteqꝛ Semper Præstando, Qva
Fieri Potvit Brevitate**

Rostochii: Typis Joann. Jacob. Adleri, [1739?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004022263>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1739. Michael.

~~M-1256. 254.~~


Mich. 1739

AD FESTVM
 SANCTORVM ANGELORVM
 PIE RITEQVE CELEBRANDVM
 CIVES ACADEMICOS O.O.O. HONO-
 RATISSIMOS
 PVBLICO HOCCE PROGRAMMATE,
 PRO OFFICII RATIONE, HORTATVRVS,
 DE
 CHRISTIANORVM
 CIRCA MALOS ANGELOS
 OFFICIO,

PIE MEDITANDO, SANCTEQVE SEMPER PRÆSTAN-
 QVA FIERI POTVIT BREVITATE,

DISSERIT
 ACADEMIÆ VARNIACÆ HODIE
 RECTOR

FRANC. ALBERT. ÆPINVS,
 S.S. THEOL.D. ATQVE PROF. DVICAL.
 PVBL. ET CONSIL. CONSISTOR.



ROSTOCHII

Typis JOANN. JACOB. ADLERI. SEREN. PRINC. ET
 ACADEM. TYPOGR.

M. 1256 254



Um, quæ gratiosa Numinis Supremi voluntas, nunc iterum sanctorum Angelorum festum, cum Ecclesia Christiana, celebrare nobis contingit, in quo, patrio Academiarum more, ad Vos, CIVES ACADEMICI, O. O. HONORATISSIMI! verba faciendamihi sunt, quibus officii in illo vestri admoneamini, tempora superiora retrospectens, memini, jam aliquoties, eadem hac occasione, me Vos ad illud omne, quod sanctis Angelis conveniens, & cum primis ad cultum supremo tam illorum, quam nostro Domino, propter illos, debitum, pro muneris Rectoralis ratione, hortari. Ecquid igitur novi hac vice, quod in ædificationem nostram, quem primum hujusmodi scripturarum scopum haberi oportet, vergere queat, Vobis proponendum erit? Non, sane, quidem deessent, quæ de sanctis Angelis ulterius commentari liceret: Sed hodie Vobiscum ex opposito colloqui malo, mihi que propositum est. Quis etenim Angelorum, quo in bonos & malos eos distingui oporteat, discrimen ignorat? Qua de distinctione illorum hoc quidem loco prolixè disputare, nec, quem in præsentibus præfiximus, scopus postulat, nec, una cum charta, tempus passurum est. Nam satis esse poterit, quod constat, nullos ullos ab eorum origine malos existisse, ceu, præter infallibile testimonium Spiritus S. *Gen. I. 31.* quod etiam abs illo morum Christianorum egregio formatore, *Eccles. XXXIX. 21.* repetitum invenimus, vel ipsa ratio, si quis eam consulere scrutarive velit, agnoscit atque distat. Unde consequitur, qui nunc mali sunt, originali suo statu excidisse, ac aliunde postmodum malos esse factos. Non autem alia hic ejus indagari potest vel impulsiva, vel efficiens, ut ita dicam, causa, præterquam propria eorum ipsorum voluntas, cujus concreata libertate ac indifferentia (si quidem in statu viæ adhuc constituti, nondum, uti nunc sancti Angeli, in bono confirmati erant) perperam abusi, a DEO, Creatore suo, cui, concreatis a bonitate divina viribus, constanter

ter adherere, non debebant solum, *Col. I. 16.* sed & poterant, sponte malitioseque ceciderunt, ipsimet ita in eum, in quo nunc degunt, corruptionis atque perditionis statum sese precipitantes. Hoc est illud ipsum, quod Salvator noster, *Job. IIX. 44.* de Diabolo pronunciat, eum in veritate non stetit, ac Apostolus Judas *Ep. v. 6.* dicit, quosdam Angelorum non servasse seu retinuisse τὴν αὐτῶν ἀρχήν, originem suam, & proprium suum domicilium dereliquisse. Quandoquidem igitur tam magna nunc Angelorum diversitas est, unicuique, credo, conjectu quam facillimum erit, a diversis eorum qualitatibus ac inclinatione diversa diversas etiam actiones, & abinde provenientes effectus oriri, quas attendere ac observare, Christianis non modo valde consultum est, verum etiam ceu debitum incumbit. Atque hoc eo magis, quoniam exinde colligendum, quomodo vel erga bonos, vel circa malos nos gerere debeamus, siquidem inter eos nullus unquam sperandus consensus, nulla tam ab invicem dissidentium sibi que semper adversantium futura reconciliatio. Sunt namque mali, inde ab eorum a DEO apostasia, non hujus solum, sed & bonorum ac beatorum Angelorum, quibus sui status, qua fruuntur, felicitatem quam amarissime invident, & propter eam DEum quoque, ceu beatitudinis illorum, suarum vero, quas patiuntur, pœnarum infernalium causam, odio continuo prosequuntur, insensissimi pariter ac implacabiles hostes. Ecquid igitur nobis ab illis expectandum, & sive sperandum, sive potius metuendum erit? Non minus etenim hostilem erga nos affectum gerentes, quam universo humano generi Christus promeritus est, salutem æternam indignè ferunt, qualibet occasione, ne participes illius fiamus, variis nodis, in se quantum est, viribus omnibus impedituri. Quamobrem Petro, *i Epist. V. 8.* scribendum fuit: *Adversarius vester, diabolus, sicut leo rugiens circumit, quarens, quem absorbeat deglutiatve.* Qui namque DEI se hostem declaravit, quidni salutem æternam, qua semet ipsum indignum reddidit, ac ad quam recuperandam ipsi nulla relicta spes est, illis invideret, quibus eandem a gratia divina & præparatam & promissam novit? Hinc, ut eam illis eripiat, & ipsos una secum in æternum exitum precipites det, omnes suas cogitationes convertit, omne studium impendit & ut ita loquar, lapidem omnem mover: quapropter eo sollicitius ab illius versutia cavendum nobis est, ne suos nos in laqueos pertrahere, ac ad æternam rapere damnationem queat. Quod ut, per DEI gratiam, sub tutela sanctorum Angelorum, evitare possimus, missis, quæ cetero-

quin, de diabolorum, in hominum perniciem tendentibus operationibus in hoc mundo, abs nonnullis motæ sunt, haud ignotis controversiis, quid hic officii nostri sit, in memoriam hac vice nobis revocaturi sumus. Officii vero vocabulo hic non intelligimus aliquid, quod angelis malis, tanquam a nobis, ut ipsis gratum, aut in bonum ipsorum cedens, debitum, præstandum sit: cum erga illos nulla hujusmodi nobis incumbat obligatio, quam tamen officium erga quempiam secum fert ac præsupponit. Nihilominus officium nostrum id dicimus, quantumlibet non erga, circa tamen malos angelos, & quidem tum erga DEum, tum erga nosmet ipsos, prout utrumque Scriptura S. pariter ac conditio nostra postulant atque requirunt.

Ad DEum quod attinet, statim in mentem nobis venit effatum Salvatoris nostri, *Matth. VI. 24. Nemo potest duobus dominis servire. Nam aut unum odio habebit, & alterum diligit, aut uni adhaerebit, & alterum negliget.* Quodsi jam cogitaverimus, quantum interfit inter DEum & diabolum dissidii, de quo *2. Cor. VI. 14. 15. Apostolus: Quæ participatio, scribit, justitiæ & injustitiæ: Quæ vero communio luci cum tenebris? Quæ concordia Christo ad Belialem?* quemlibet illico judicaturum arbitror, DEum a nobis diligendum, diabolum odio habendum esse: DEO nos adhærere, diabolum autem fugere ac abhorrere debere. Cujus etiam nos admonet Paulinum istud *1. Cor. X. 21. Non potestis poculum Domini bibere, & poculum demoniorum: non potestis mensæ Domini participes fieri, & mensæ demoniorum.* Quapropter nostrum circa malos angelos hoc erga DEum officium est, ut eos non aversemur tantum, sed ipsis etiam adversemur, ac contra eos, tanquam in fensissimos atque perpetuos Domini nostri hostes pugnemus, odio ab integritate cordis adversus DEum proveniente eos prosequentes. Nam & in hoc se cum Davide, *Psal. CXXXIX, 21. 22. declarare Christi nos decet: Nonne os res tuas, Jehovah, odi; & insurgentes contra Te aversor? Extremitate odii odi eos; in hostes facti sunt mihi.* Quisquis enim veritatem amat ex puro corde, non potest non detestari mendacium, patremque mendacii, qui diabolus est, *Job. IIX 44. impense odisse.* Justitiam qui colit, injustitiam abominatur. Qui luce delectatur, tenebras abhorret. Et qui Christum, Dominum & Salvatorem suum, sincere æstimat atque sectatur, adversarium illius, Belialem, non aversari fugereque non potest. Ergo, si DEI volumus esse servi, diabolum odisse nos oportet, atque nilquidquam nobis sit cum angelis malis commercii. Id quod adeo nostrum circa malos angelos erga DEum officium.

Nos autem ipsos si respicimus, quid nostri erga nosmet circa malos angelos, ad DEum tamen etiam ultimo redundantis atque primario spectantis, officii sit, passim Scripturarum nobis præscriptum deprehendimus: Sufficiat autem, unum alterumve duntaxat huc pertinentem allegasse locum. Quales erga nos, ex odio DEI omniumque bonorum, sege-

rang

rant angeli mali quantum nobis insidiarum fruunt, ut vel animabus no-
 ceant, vel corporibus nostris, tandemque nos eo seducere nitantur, ut æ-
 ternæ salutis, adversus DEum peccando, expertes nos redditos, atque ma-
 ledictioni Legis obnoxios factos, in damnationis æternæ barathrum abri-
 piant, una cum illis infernalibus ibi pœnis sine fine cruciandos, in præce-
 dentibus jam jam insinuavimus. Quod si vero sic erga nos animati sunt,
 quomodo vicissim erga ipsos nosmet geremus, & quid aliud nostri heic
 erit officii, quam ut ab insidiis illorum omni nos sollicitudine prudentia-
 que Christiana nobis caveamus, illecebris eorum consensum & sequelam
 denegemus, tentationibus virtute Spiritus S. resistamus, & ut paucis mul-
 ta dicamus, sub Duce nostro Christo adversus eos totis viribus, ceu spi-
 ritualem nostram militiam decet, pugnemus. Cujus nos paucis admo-
 nitos voluit *Jacobus Cap. IV. 7. Subditi, horratus, estote DEO: resistite au-
 tem diabolo; fugiet enim a vobis.* Quod addidit, ut intelligamus, nullam
 peccandi nobis a diabolo necessitatem imponi, sed penes nos solos omnem
 illius esse culpam, utpote debitam illius irritationibus atque tentationi-
 bus opponendam resistantiam negligentes. At vero, quomodo, quave
 virtute diabolo resistere eumque fugare poterimus? si querere quis vellet,
 eum id edocebit Petrus Apostolus *I. Epist. V. 8. 9* monendo: *Sobrii estote,
 vigilate: quia adversarius vester, diabolus, sicut leo rugiens circumit, quærans
 quem absorbeat. Huic vero resistite stabiles fide.* Indicans formidolosa
 malorum angelorum, in perniciem nostram vergentia, molimina, simul
 statim remedia nobis præscribit, quibus partim nos contra præmunire
 debeamus, partim ea repellere possimus. Ad præmunitionem contra
 diabolorum insidias sobrietatem atque vigilantiam nobis commendat.
 Sunt equidem inter Interpretes, qui sobrietatem mentis hic intellectam
 volunt: nec diffidendum est, quando res ipsa respicitur, eam omnino pri-
 mariam esse, siquidem qui mente semper sobrius, etiam ab ebrietate cor-
 poris sibi cavebit; potius tamen Apostolus de sobrietate corporis, quam
 & ipse Christus, *Luc. XXI. 34.* hortatus: *Cavete vobis ipsis, ne forte graventur
 corda vestra commensatione & ebrietate,* graviter nobis injunxit; vel uni-
 ce, vel saltem potissimum loqui videtur. Sobrietatem namque mentis
 haud dubie sub vigilantia comprehendit, virtute, qua nobis contra ma-
 lorum angelorum technas & insidias, quas nullo non tempore nobis stru-
 unt, ut eas cavere queamus, opus est ut quammaxime. Vocabulo nam-
 que vigilantia, quod ere militari, & a vigilibus castrensibus desumptum,
 per Metaphoram, ad animam militum Christianorum, propter similitu-
 dinem, translatum est, sollicita denotatur cura salutis, ad præcavendam
 & declinandam omnem illi adversam hostilitatem, omneque nocumen-
 tum avertendum. Quandoquidem ergo non pejorem angelis malis aut
 nocentio rem hostem habemus, sobrietati studeamus, oportet, ut ad vigi-
 landum contra insidias & stratagemata illorum eo simus alacriores. Ad
 repellenda vero & avertenda, quæ nobis intentant angeli mali, mala, fi-
 dei nobis stabilitatem præscribit. Ut enim sobrietas & vigilantia ad ho-
 stes infernales non admittendos conducit; sic ad aggredientes nos repel-
 lendos resistantia in stabilitate fidei facit. Qui namque se adorientem
 hostem reprimere ac abigere vult, vires ei suas opponat, omnique nisu ei
 resistat, necessum est. At quales quantasve nos nostris, de quibus sermo
 hic est, hostibus vires opponemus, quibus iisdem resistere valeamus? Pro-
 fecto

fecto, si propriis nostris & naturalibus viribus considerare ac niti vellemus, nimium imbecilles easdem, ac prorsus insufficientes essemus experturi, quin aliter fieri hand posset, quam ut in pugna hac, circa dubium, nobis succumbendum foret. Quare Petrus, officii nostri circa malos angelos nos admonens, non modo resistantiam illis opponendam postulat, sed simul etiam, undenam resistanti vires petendæ ac mutuandæ sint, demonstrat: *Resistite*, scribens, *stabiles fide*. Scilicet, ut adversarium nostrum, diabolum, tam ad vices ejus, quam ad nocendi cupiditatem indicandas, sub schemate non magis sævi ac crudelis, quam robusti animalis, leonis rugientis & circumeundo prædam quærentis ac devorantis, depinxit; ita quoque non nisi leoninis viribus, quibus repelli possit, eidem occurrendum ac resistendum esse, commonet. Dum namque fidei stabilitatem in nobis ad pugnandum & resistendum requirit, alius ejusdemque longe potentioris leonis, Christi videlicet, Redemptoris nostri, vincentis illius Leonis, qui est ex tribu Juda, *Apoc. V. 5. coll. Gen. XLIX. 9. 10.* virtute debellatrice potentiam diabolicam prosternendam & subjugandam esse, docet. Fides quippe nostra Christum cum universo suo merito & omnibus beneficiis fiducialiter apprehendit, adeoque reportatam etiam ab infernali hoste victoriam ipsius, inter ea, nobis applicat, ejusdemque nos participes reddit. Haud enim est, ut sibi quispian imaginetur, fidem in se consideratam, quatenus actus aut habitus noster est, tanta virtute pollere, qua machinationibus angelorum malorum efficaciter resistere queat: sed quicquid virium illi competit, id omne habet ex relatione ad objectum suum, in quod fertur, i. e. a valore meriti Christi, per quod fides efficax est ad resistendum fortiter diabolo. Hoc in respectu spectata fides nostra dicitur esse victoria, quæ vicit mundum. Quod si verò mundum, simul etiam principatus atque potentes mundi, velut angeli mali *Eph. VI. 12* insigniuntur. Sed & hoc notandum est, fidem hic requiri firmam, solidam atque stabilem, ut certi confidamus, sub Duce nostro Christo, per DEI gratiam, per infernales illos hostes, fideliter ac constanter eis resistendo, veluti Jacobus I. c. asseveravit, repellere atque fugare posse, nec vacillantibus in fide vel hæsitantibus, astu tam versutorum ac callidorum adversariorum, hoc munimentum nobis eripi patiamur. Dubitantes enim ac hæsitantes facilius prosternere poterunt & trucidare.

En ergo! quomodo circa contraque malos angelos officio nostro tam erga DEum, quam erga nos fungi debeamus. Vivimus hanc vitam in Ecclesia militante: quare, ceu milites Christianos decet, adversus nostros non tantum, sed ipsius etiam DEI, irreconciliabiles hostes, pugnemus. Quam pugnam ut animo fortiori & alacriori aggredi queamus, Paulus, gentium ille doctor, armamentarium quoddam spirituale, *Eph. VI.* instructum, nobis adaperuit, ubi invenienda, & unde capienda sunt, quibus, ad feliciter pugnandum, & assultus infernalium istorum hostium reprimendos, instructos esse nos oportet, arma spiritualia. Posteaquam enim *v. 12* hostes, contra quos nobis militandum, a qualitatibus & conditione, a robore sive potentia eorum, & a circumstantiis aliis descripserat, *v. 13-19.* hortatur: *Propterea accipite armaturam DEI, ut possitis resistere in die mala, & omnia perficientes consistere. State ergo circumcincti lumbos vestros veritate, & inducti thoracem justitiæ & calceati pedes promptitudinē Evangelii pacis. Super omnia apprehendentes scutum fidei, per quod poteritis omnia tela malitiosæ igni.*

ignita extinguere. Et galeam salutis sumite, gladiumque Spiritus, quod est verbum DEI. Omnibus precibus & petitione precantes in omni tempore in Spiritu, & in hoc ipsum vigilantes in omni instanti perseverantia & precatione pro omnibus sanctis. Quilibet, vel me tacente, continuam in istis, a corporalibus belligerantium armis desumptam, allegoriam animadvertet, quam explanare, sicut omnino, dummodo liceret, prolixiorem integer hicce locus commentationem mereretur, tam non injucundum, quam forte non infructuosum foret. Ast hac vice id, propter angustiam chartæ meditationibus istis destinata, vel ad aliam occasionem differendum est, vel potius aliis a nobis relinquendum. Qui tamen eorum omnium ad spiritualem nostram, adversus angelos malos, militiam applicationem & latentem in illis analogiam perspicere gestit, videre poterit CALOVII Bibl. Illustr. N. T. ad b. l. ubi simul ostenditur, quomodo his armis, cum ad nos protegendos, tum ad hostes prosternendos atque fugandos, utendum nobis sit.


Vidimus ita, CIVES OPTIMI! quid Christianorum, adeoque nostri, circa malos angelos officii sit, ac qua ratione id ipsum a nobis sit exercendum. Qua de re tamen longe plura moneri potuissent, tantum tamen abest ut id nobis liceat, ut potius abrumpere sermonem, ac ad finem scribendi properare, variæ cum externæ, tum internæ nos causæ jubeant. Alioquin etiam, quam multis modis contra hoc officium peccari a mortalibus & possit & soleat, commemorandum ac ostendendum foret, de quibus tamen quin pauca proferam, intermittere non possum. In bellis licet ab aliis excubiæ agantur, nihilominus unusquisque militum, quin integer exercitus prudenter sibi caveat, necessum est, ne velut ex improvviso hostis eum aggrediatur, & damnum inferat irreparabile. Nobis equidem DEUS etiam sanctos Angelos, castra metantes circa timentes ipsum, excubiæ instar ordinavit, *Psal. XXXIV. 8. coll. Gen. XXXII. 2. 3. & Ebr. I. 14.* at tamen propterea non nobis licet securitati nos dedere, quin stratagemata satanica, quibus nos circumvenire hi hostes conantur, nullo non tempore nobis sint metuenda. At vero in hoc sæpius, in excessu quidem ab aliis, ab aliis in defectu peccari, tristis experientia docet. Sunt, qui nimiam potentiam diabolo & angelis ejus tribuunt, cui vera in Christum fide resisti nequeat, indeque majorem ejus ac Christianos decet, mente concipiunt timorem: illusiones & terculamenta quælibet malorum angelorum, magis, ac par est, formidolosi, paventes. Quæ pusillanimitas quoniam nisi remissiori hominum in DEUM fiduciæ debetur, hunc in modum affectos Apostolus Jacobus melius docere voluit, testatus, diabolum ab illi resistentibus aufugere, dummodo, juxta monitum Petrinum, ei stabiles fide resistent. Et Paulus talibus *Eph. VI. 10. 11* exclamat: *Confortamini, fratres mei, in Domino, & in robore potentie illius. Induite armaturam DEI ad hoc, ut possitis vos stare contra insidias diaboli.* Ex adverso sunt, qui, quam illis inest, majorem angelorum malorum virium opinantur imbecillitatem esse, in securitatem, ex ea persuasione, prolapsi, ab illorum insidiis satis se tutos existimantes, indeque non, ac par est, ab iisdem sibi caventes, imo vero nonnunquam illicitis artibus consortium illorum quærentes atque familiaritatem. Quorum vel audaciam vel temeritatem, aut a remissiori adversus diabolum odio, aut a nimia in suas proprias vires confidentia profectam, Petrus repressam vult, partim diabolum ceu leonem rugien-

tem & circum eundo devorare nos quarentem describendo, partim ad sobrietatem & vigilantiam, quibus ab infidiis illius nobis caveamus, nos adhortando. Quæ quidem specialius referri latiusque deduci possent, sed alii me vocant contra suum adversus angelos malos officium omnium gravissime peccantes. Eos hic innuo, qui juxta Salvatoris nostri sententiam, *Job. IX. 44.* ex diabolo se esse, demonstrant, illius, ceu patris sui, desideria facere volentes. Tales sunt, qui sponte & ex mera prozressi eo usque sese inebriant, ut ad alia graviora peccata procliviores fiant: quos Petrus hortatur: *Estote sobrii.* Ebrietas namque quam variorum, quam gravium peccatorum foecunda mater fit, notius est inter omnes, quam ut indicari sit opus. Alia igitur ut fileamus, parit ea nimis crebro, vel inter amicos ceteroquin ipsos, dissidia, jurgia, altercationes, lites, hinc duella, pugnas, vulnerationes, & ni DEUS bonorum Angelorum opera averteret, ipsam proximi caedem: Diabolus autem a Christo *I. c. homicida ab initio* pronunciatur. Utinam! non semel, sed iterum atque sepius, imo paucos ante dies iterum iterumque hoc edocti essetis, **COMMILITONES FUCUNDISSIMI!** Credatis proinde, velim, inter retia, quibus nos irretitos tenere conantur angeli mali, haud postremum, nec levissimum ebrietatem esse. Estote ergo sobrii: ebrietatem, cane pesus, quod ajunt, & angue, fugitote. Fugitote quoque id omne, ex quo quadam nos inter angelosque malos, implacabiles illos & odio semper prosequendos, DEI pariter ac humani generis hostes, intercedere similitudo potest. Sunt autem illi tenebrarum filii: nos vero filii lucis sumus, oportet. Nihil igitur in nobis inveniatur, quod vel minimam cum filiis tenebrarum convenientiam arguere possit, sed ut filii lucis ambulemus, *Eph. V. 8.* Quid hisce dictum velim, opinor, Vos ipsos sine alia interpretatione divinaturos esse, si nuperriorum, nocturno tempore aëra replentium & quietem aliorum turbantium, ingentium clamorum, & quicquid omne cum illis junctum fuit, recordamini. Judicetis autem, paterne VOS oro moneoque, num Angelis bonis, talia facta convenire, DEOque placere possint? Non ignotum Vobis est, non alio magis, quam nocturno tempore ab angelis malis nobis insidias strui, & hostilitatem erga nos exerceri: cur igitur in laqueose eorum non tam casu quodam incidere, quam sponte currere Vosque precipitare amatis? Cogitatis e contrario potius, quid nostri sit circa malos angelos officii, atque hoc ut præstetis, curæ Vobis sit. Non enim obtemperandum illis est, sed resistendum. Non sequendi sunt, sed fugiendi, quin &, per reportatam ab illis Christi victoriam, vera fide fugandi. Et quoniam, repulsi licet fugatique, subinde tamen insultus in nos suos reiterare non intermittunt, nullo non tempore nostrum officium est, ut sobrii vigilantesque, in robore potentiae Domini, contra eos pugnemus, donec tandem, absoluto cursu certamineque plene consummato, in Eccle-

sia triumphante *ἰσαγγελοὶ* futuri, corona vitæ ac justitiæ, ceu victores, ornabimur. Hanc autem ut obtineamus, hic
MILITEMUS!


P.P. sub Sigillo Rectorali Academico,
in Festo S. S. Angelorum, Anno MDCCXXXIX.

RS (o) SE



ignea extinguere. Et galeam salutis sumite, gladiumque Spiritus, quod
est verbum DEI. Omnibus precibus & petitione precantes in omni tempor
e, & in hoc ipsum vigilantes in omni instanti perseverantia & precat
ionibus sanctis. Quilibet, vel me tacente, continuam in istis, a c
eteris belligerantium armis desumptam, allegoriam animadvert
ere, sicut omnino, dummodo liceret, prolixiorem inter
locos commentationem mereretur, tam non injucundum, quam
infructuosum foret. Ast hac vice id, propter angustiam charta
tionibus istis destinata, vel ad aliam occasionem differendum est
tius aliis a nobis relinquendum. Qui tamen eorum omnium
virtutem nostram, adversus angelos malos, militiam applicati
onem in illis analogiam perspicere gestit, videre poterit *CALC
Illustr. N. T. ad h. l.* ubi simul ostenditur, quomodo his armis, cu
m protegendos, tum ad hostes prosternendos atque fugandos, uter
que sit.

Vidimus ita, *CIVES OPTIMI!* quid Christianorum, ad
struendum, circa malos angelos officii sit, ac qua ratione id ipsum a nobis
tendum. Qua de re tamen longe plura moneri potuissent, ta
men abest ut id nobis liceat, ut potius abrumpere sermonem, ac
scribendi properare, variæ cum externæ, tum internæ nos causæ j
lio quin etiam, quam multis modis contra hoc officii peccari a m
& possit & soleat, commemorandum ac ostendendum foret, de
men quin pauca proferam, intermittere non possum. In bell
aliis excubiæ agantur, nihilominus unusquisque militum, qui
exercitus prudenter sibi caveat, necessum est, ne velut ex improv
eum aggrediatur, & damnum inferat irreparabile. Nobis equic
etiam sanctos Angelos, castra metantes circa timentes ipsum, ex
instar ordinavit, *Psalm. XXXIV. 8.* coll. *Gen. XXXII. 2. 3.* & *Ebr.*
tamen propterea non nobis licet securitati nos dedere, quin str
fatanica, quibus nos circumvenire hi hostes conantur, nullo no
re nobis sint metuenda. At vero in hoc sapius, in excessu quidem
ab aliis in defectu peccari, tristis experientia docet. Sunt, qui
potentia diabolo & angelis ejus tribuunt, cui vera in Christum
nequeat, indeque majorem ejus ac Christianos decet, mente conc
morem illusiones & terriculamenta quælibet malorum angelor
gis, ac par est, formidolosi, paventes. Quæ pusillanimitas quo
nisi remissiori hominum in DEum fiducia debetur, hunc in mo
ctos Apostolus Jacobus melius docere voluit, testatus, diabolum
sistentibus aufugere, dummodo, juxta monitum Petrinum, ei st
resistant. Et Paulus talibus *Eph. VI. 10. 11* acclamat: *Confortamini
mei, in Domino, & in robore potentia illius. Induite armaturam D
ei, ut possitis vos stare contra insidias diaboli.* Ex adverso sunt, qui
est, majorem angelorum malorum virum opinantur. Imbecillit
in securitatem, ex ea persuasione, prolapsi, ab illorum insidiis s
tos existimantes, indeque non, ac par est, ab iisdem sibi caventes
ro nonnunquam illicitis artibus consortium illorum quærentes
militaritatem. Quorum vel audaciam vel temeritatem, aut a
adversus diabolum odio, aut a nimia in suas proprias vires co
profectam, Petrus repressam vult, partim diabolum ceu leone



the scale towards document